



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

5. Martis Ibi Qvondam Simvlacro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

fortunásque civium multum imminuit proximum bellum, quo An. 1646. 25. maij oppidum à Suecis expugnatum, direptum, & munitionibus nudatum.

4. ANTIQVA CELEBREM RELIGIONE LOCVM. Erat namque *Eresburgi* fanum nobile, sive, ut *Meibom.* scribit, *religione augustum, magnitudine ingens, structura operosum, splendore magnificum, divitijs inlytum*, atque in hoc delubro vastissimum Idolum totius Saxonix, numen gentis tutelare & commune. Solebant antiqui Saxones, & cum primis militares homines certis iisdemque solemnibus & festis diebus armis induti, atque etiam cataphracti, gladiisque accincti, dextra vero cestus ferreos vibrantes, alternis circa Idolum patrium obequitare, interdum in genua procumbere, opemque presentem & in bello secundam fortunam efflagitare. Huc quoque frequens populus ibat & vota reddebat. Multa ibi opulenta regum populorumque visebantur munera, ingens auri argentique ostendebatur copia. *Avent. l. 4. annal. Bojcorum.*

5. MARTIS IBI QVONDAM SIMVLACRO. Non uno eodemque modo ab antiquis Francicarum Germanicarumque rerum scriptoribus nomen hujus simulacri, seu Idoli enunciat. *Annales Francici. Fuldenses. Adeilmus.* habent *Irminsul.* Hos sequuntur *Ditmarus Mersburgensis. Aimonius. Schaffnaburgensis. Hermannus Contractus. Vrspergensis. Modice variant Adam. Brem. qui Irmindsul. Albert. Stad. qui Erminsul. auctor vitæ Carol. M. qui Ermensul* scribunt. alij aspirationem adjungunt, in quibus *Regino, Hermanfaul. Rolevinc. Hermeseul. Chron. Belg. mag. Hermensul* appellant. *Chronicon Saxonicum Armensul.* Quia ex duabus dictionibus compositum, de utraque controvertitur, an posterior cippum, seu columnã, an verò aulam significet; præcipue

pue verò de posteriore dissentiunt. Nonnulli, ut Cranzius in Saxonia, *Irmensul* interpretantur statuam publicam. Conijci permittitur dictam *Idermansel* quasi commune profugium & asyllum omnium. Favet huic etymo Adam. Brem. qui patria lingua idem esse vult, quod Latinis *universalis colūna* quasi *universa* statuens. Gobelin. statuam *Mercurij* fuisse opinatur. Aventin. *Hermioni* sacram fuisse contendit. Plurimi memorix *Harminij* dicatam existimant. Gorop. Becan. *hieroglyphicam* esse affirmat. Verum magis credibile Saxones gentem bellicosam *Martem* in eo coluisse: nam ut Widekind. lib. i. *Secundum errorem paternum sacra sua propria veneratione venerati sunt, nomine Martem effigie columnarum innitentes.* Chron. Saxon. vetus. *Hæc erat forma Idoli Martis Marsburgi, quod Carolus M. destruxit in Westphalia.* Marti præterea similior quam Mercurio imago à Cranzio descripta. *Erat armati toto corpore effigies, cujus in dextra signum militare (nostri vexillum vocant) præferens rosam: cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem facile huc illuc inclinantem; pectus inermis præferbat, interritum bellatorum animum insinuans. In clypeo Leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta animum monstrat: floribus consito campo, in quo stabat, quod nihil jucundius solet videri fortibus, quam in acie virtutem ostendere.*

6. NOBILE FANVM. Adamus Brem. Ursperg. Rhenanus. Huldricus Mutius. tradere videntur sub dio in aperto campo stetisse; at fani seu templi meminit vita Caroli M. apud Pithœum, *pervenitque usque ad Ermensul, & ipsum fanum destruxit, & aurum & argentum, quod ibi reperit, abstulit.* Regino totidem verbis ex vita Caroli M. Henricus